

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0041

0039

0045

0035

0050

0030

0090

0140

0540

1040

Ende

Anfang

30

quod sine contradictione nos ad Jordanem ducere teneantur,
ut patet fol. 34. A. Ad hoc patroni dicebant, se non negare
posse conventionem factam Venetiis. Sed si ista pericula
imminentia Venetiis agnoverissent, nequaquam illum articulum
acceptassent. Incepérunt autem referre pericula tria. I. quia
de hoc certi essent, quod Arabes nos in via contra Jordanem
exspectarent, et in solitudinibus Jordanis latitarent ad inva-
dendum nos. II. dicebant, quod in locis illis nulla esset ec-
clesia, nulla devotio, nullae indulgentiae. III. dicebant, quod
per illam viam non inveniremus nec aquam, nec panem, nec
locum quieti aptum, et esset tempus calidissimum, et labor in-
tantis caloribus esset periculosus, et vitae humanae gravis.
IV. difficultabant pro eo, quod expensae crescerent eis ex
hoc magnae, quia oportet, ut patroni solvant pretium cotti-
dianum ductoribus et asinariis, quamdiu sumus in terra
sancta, et praecipue expensas multas pro laboribus petunt,
quando ad Jordanem nobiscum proficiuntur. Hanc tamen
quartam caussam non allegabant, sed nos suspicabamur, quod
propter eam alias excogitarent. Primum impedimentum et
secundum, et quartum, parum curavimus, sed tertium impe-
dimentum rationabile et verum est. Est enim peregrinatio
gravis propter defectus necessariorum et immensitatem calo-
rum, et teneri milites nobiles debilitantur, et debiles Jero-
lymam reducuntur, et inde in galeam infirmi redeunt (B), et
dum ad mare veniunt, moriuntur, nec debilitati istis labori-
bus possunt maris agitationes sustinere. Hoc enim certum
est, quod peregrinatio Jordanis plures peregrinos interimit,
qui quidem non moriuntur circa Jordanem, sed reversi debiles
in galea deficiunt, qui numquam defecissent, si in Jerusalem
mansissent. Numquam suaderem alicui peregrino, quantum-
cumque forti, in cuius oculis vita sua pretiosa est, ut Jord-
anem visitaret, quia vidi plures in utraque peregrinatione defi-
cere et mori, nobiles et fortes.

In prima mea peregrinatione deduximus unum integrum
diem litigando cum patrono et Trutschelmanno, pro eo, quod
nolebant nos ad Jordanem ducere, et adeo dure contra se
stabant invicem, peregrini et patronus, quod dentibus in se
fremebant, et verbis pessimis se lacerabant, et opprobria et

